349.C.23. 52 5

VTRVM NOBIS OPTANDVM SIT, VT AMICI NOSTRI AD SVPREMOS OPVM, AC DIGNITATVM GRADVS EVEHANTVR:

PROBLEMA.

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

D. IOANNI COLVMNAE

DEDICATVM

Et

HABITVM A DOMINICO BANDERIA
Prothonot. Apoſt. Philoſoph. S. Theol. ac I.V.D. ac in Almæ Vrbis Gymnaſio moralis Philoſophiæ Profeſſore.

Cum Octauum Librum Ariſtotelis de moribus explicaret Anno MDCXXXI.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

ROMAE,
Ex Typographia Franciſci Corbelletti. MDCXXXI.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRISSS. ET EXCELLENTISS. D.

D. IOANNI COLVMNAE

DOMINICVS BANDERIA F.

VNI Tibi IOANNES EXCELLENTISS. triplicem ob cauſam debeo Problema hoc meum. Primò enim cum præter Iuris intelligentiam, Ethicæ etiam, ac Politicæ rei cognitione pluri mum valeas: diſputatio verò hæc & moralis, & ciuilis doctrinæ, Iuriſprudentia etiam opitulante ſit fructus; in ſolo ditionis tuæ nata quodammodo videri poteſt. Deinde ſuauis illa morum tuorum comitas, & gratia, qua virtutis, ac doctrinæ ſtudioſos quoſque potiſſimum emereris, ac rapis in obſequium, & amorem tui, ſatis oſtendit natalitia ſydera noſtri huius

de amicitia foetus, vnum fuiſse ingenium, & amabiles mores tuos. Denique & mea erga nobiliſsimam familiam tuam obſeruantia, parata ſemper ad nutum Eminentiſsimi fratris tui Cardinalis HIERONYMI *me quoque vocat in hanc partem felicitatis, vt tutelam* EXCELLENTISSIMAE *domus ſperare mihi poſsim, & audeam. Hoc præſertim tempore, quo* EXCELLENTISS. PHILIPPVS *parens tuus ſingularem prudentiæ ſpecimen, & virtutis exemplum, ea animi moderatione ſupremam cum Regnatrici familia cognatam ſibi felicitatem flectit, ac temperat, vt quo modeſtiore gratia ſplendorem fortunæ ſuæ ſtringit, ac mitigat, eo profuſiore honorum obſequio venerari illum & colere in ſe, vel in ſuis debeamus omnes. Excipe igitur hoc venerationis meæ monumentum primum, & me quem beneuolentiæ tuæ ſplendore colluſtras, aſsueſce etiam patrocinij auctoritate defendere. Vale.*

VTRVM NOBIS OPTANDVM SIT, vt amici noſtri ad ſupremos opum, ac dignitatum gradus euehantur.

PROBLEMA.

QVONIAM ſuperioribus menſibus N.N.ſemel beneficium erga me veſtræ humanitatis inceptum, etiam hodierna die benignitas continuata proſequitur, vt nimirùm exacto labore trimeſtri dum fructum aliquem colligo, ſiuè potiùs collecti lucri ſummam deduco, ſplendore Illuſtiſsimæ præſentiæ veſtræ mihi faueatis, inſtituti mei ratio etiam poſtularet, vt quæcunque tribus hiſce menſibus Ariſtotele auctore docui, vnico intuitu ſicuti aliâs feci, breuiſſimo ſermone collecta ſimul vobis cognoſcenda proponerem. Et ſanè cum toto libro 8.Moralium de amicitia egerimus, quo nullum bonum gratius naturæ mortalium à Deo conceſſum eſſe paſsim dicitur à Philoſophis: neque amicè, neque cum gratijs facerem, ſi ſuauiſſimam hanc ſcientiæ moralis partem in tanta amicorum beneuolentia, & gratia præterirem. Verum quia noua beneficia noua etiam ſignificatione gratæ voluntatis excipi aliquando decet, hodiernam præſentiæ veſtræ lucem colere debuimus non antiquo more ſimplicem præteritarũ exercitationum epilogum exponentes, ſed inuſitata ratione argumentum aliquod, & nouitate ma-

teriæ, & varietate rerum iucundius afferentes. Igitur ne ieiuni de Platonico Amoris conuiuio, ſiue potiùs de Ariſtotelico amicitiæ epulo diſcedamus, problema vnicum, & veſtro conſeſſu dignum, & huius Vrbis naturæ, ſiue potiùs fortunæ maximè accomodatum diſcutiendum proponam. An ſcilicet optandum nobis ſit, vt amici noſtri ad ſupremas dignitates, & magiſtratus, ad Principatum, ad regios honores euehantur, an verò cupiendum potiùs vt in æquali nobiſcum ſorte perſeuerent. Adytum enim nobis ad quæſtionem hanc aperuit Ariſtoteles, qui cap. 7. libri 8. de moribus hanc difficultatem inſinuat illis verbis, *ex quo ambigitur velint ne amicos amici bonis quam maximis affici, v. g. Deos eſſe, neque enim &c.*

Age igitur, vt eorum ſententiam primò explicemus, qui putant optandum non eſſe, vt amici noſtri promoueantur ad altiorum dignitatum gradus, ex duplici fonte, niſi fallor, illorum argumenta deriuantur, nimirùm ex natura ipſius amicitiæ, & ex effectibus mutatæ fortunæ: & ex natura quidem amicitiæ deducunt, ne fieri quidem poſſe, vt verus amicus amico deſideret ſupremos honores, ac principatum, ex effectibus verò concludunt non expedire, immo verò, & noxium, & perniticioſum nobis futurum tandem huiuſmodi deſiderium.

Iam verò primum argumentum ita conficitur. Ea eſt vniuerſarum rerum ratio, ac natura, vt conſeruationem ſui potiſſimum velint, ac procurent, interitum verò, & quæ ad interitum ducunt euitent, & quantum poſſunt amoliantur à ſe, quæ propenſio niſi eſſet indita rebus ab auctore rerum nulla res conſiſteret, ſtatimque vniuerſa natura corrueret; cum ergo notabilis viuendi diſparitas, qualis inter virum priuatum, ac principem intercedit, ſit interitus, atque exitium amicitiæ, non poterit quis ex habitu amicitiæ optare amico, vt ſupremas Reipublicæ dignitates conſequatur. Quod autem ſublimitas Principum deſtruat initam priùs cum priuato homine amicitiam facilè probant primò, quia amicitiæ ſtatus, atque perfectio in conſuetudine mutua, in pari morum ſimilitudine, in ſociabili fortunæ æqualitate conſiſtit. docuit id Plato 6. de legib. *dum æqualitas*, inquit, *& ſimilitudo eſt conciliatrix amicitiæ*, & confirmauit ſæpius Ariſtoteles 8. Eth. cap. 3. 8. 9. *Omnem amicitiam quadam inter amicos paritate conſtare.* Hinc habetur illud apud Theocritum. *Formica formica placere, cicada cicadæ, accipitri ſolet accipiter*, & illud apud Varronem 3. de lingua latina. *Caſcus caſcam ducit.* contrà verò,

vt ait

vt ait Horatius lib. 2. ſermonum ſatyr. 1.

Oderunt hylarem triſtes, triſtemque iocoſi,
Sedatum celeres, celerem gnauumque remiſſi.

Vt meritò Hieronymus ſuper Micheam prophetam dixerit *amicitia parem facit, aut inuenit; vbi inæqualitas, & alterius eminentia, alterius vero ſubiectio, ibi non tam amicitia, quàm adulatio eſt.* Ex quo etiam fit, vt Deus ipſe ſi amicitiam cum homine contrahere velit, eum per gratiam ſuam eleuare debeat ad ſuperioris ordinis ſtatum, conſortem faciens diuinæ naturæ, vt dicitur in epiſtola Petri, & eſt in effatis Chriſtianæ Theologiæ notiſſimis. Imò vero eos quibus cum ſingularem inſtituit amicitiam Deus ad ſingulares etiam euehit honores apud ſe, dignitates, & principatus, iuxta illud pſal. 138. *Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum*, & illud Lucæ 14. *Amice aſcende ſuperius*; quaſi diceret, hoc ipſo quod amicus eſſe debes ſummo Domino remanere inter imos non potes. Deſtruitur ergo amicitię ratio ſi amicorum alter ſortiatur fortunam longè ſuperiorem, quàm alter amicus habeat, ac proinde quicunque amico ſuo ſupremum in Republica Magiſtratum, Principatum, ac Regnum deſiderat, næ ille in ipſius amicitiæ merum graſſatur interitum.

Vrgent hoc idem argumentum ab amicitiæ natura ſumptum, etiam ex eo quod cum amicitia, vt ait Philoſophus vel virtus ſit, vel non ſine virtute, qui amicum ſuum Principem, aut Regem fieri deſiderat, virtutem hoc eſt rationem, ſiue conditionem genericam, vt ipſi dicunt, amicitię conatur infringere, amorem enim Principum tenere, & ſimul ſeruare normam virtutis difficile eſſe nos edocuit Franciſcus Petrarcha in dialog. 49. *Lenocinio*, inquit, *proditione, blanditijs, mendacijs, beneuolentia Principum non raro capitur, hæ ſunt artes promerendis Regibus aptiores, quibus nihil interdum magis inimicum eſt, quam virtus, & literæ.* Cui ſententiæ ſubſcripſit iam Saluſt. in Iugurta ijs verbis. *Regibus boni, quam mali ſuſpectiores ſunt, ſemperque his aliena virtus formidoloſa eſt.* Piget hic referre modos, & machinas, quibus auliciextorquere beneuolentiam ſuis à Principibus conſueuerunt. Nota Seiani prauitas, nota nequitia Tigellini; nolo delationes conſanguineorum, proditiones amicorum, nolo veneficia cariſſimorum, nolo proſtitutiones corporum, dementationes animorum proferre, quibus medijs via patuit ad promerendos Reges, ac Principes, vt integri moribus videri poſſint. Cytheris ille mimus,

& ſcurra Neſtor, & Paris hiſtrio, qui artibus tantumodo ſcurrilibus, ludicris, adulatorijs, fictitijs: M. Antonium triumuirum, Caium Caligulam, Auguſtam Domitiani coniugem, alioſque Cæſares irretiuerunt; loco igitur prouerbij accipiendum aſſerunt dictum illud Philoſophi neſcio cuius, *ſi veneris in clientelam potentis, aut veritas, aut amicitia perdenda eſt. Non eſt enim vera amicitia, vbi eſt fallax adulatio*, dicebat Ambroſ. lib. 3. offic. Cum ergo Principum gratia malis potiùs artibus aulicorum plerumque innitatur, quàm bonis, qui perſeuerare in amore amicorum, & eos Principes fieri deſiderat, virtutem hoc eſt rationem, aut conditionem genericam ipſius amicitiæ labefactare videtur. Accedit *quòd amicitia ſuperbiam neſcit*, vt optimè docebat idem Ambroſ. lib. 1. offic. Vna verò ex Principum, Regumque proprietatibus nonnumquam ſuperbia eſt, & faſtus. Denique natura, & conditio Principum veris amicitijs contrahendis ineptiſſima eſſe dicitur à Politicæ rei peritis, inter quos Polib. lib. 2. Hiſtor. & Plutarch. in vita Pyrri dixerunt, *Principes neminem vel hoſtem vel amicum habent, ſolùm ex commodo, & incommodo amicitias metiuntur*, vt meritò cum Franciſco Petrarcha dialog. 49. poſsimus aſſerere, *Tu tibi Regum fingis amicitias? quas fortunæ ſplendor, & animi tumor omnium imparium contemptores facit?* Ex quibus omnibus omnino fit, vt ex amore amicitiæ ſtatum ſupremæ fortunæ noſtris amicis cupere non poſſimus.

Sed veniamus ad alterum argumentorum caput, ad incommoda ſcilicet quibus obnoxij ſumus, ſi amicus noſter ad ſuperiorem aliquem felicitatis gradum euehatur. Putat enim aliquis ſtatim, vt ſuum quondam familiarem viderit imperium, ac magiſtratum inniuiſſe, putat, inquam, ſe mille commoda conſequuturum, cum amicorũ omnia communia eſſe dicantur. audito igitur fauſtiſsimo nuncio commutatæ fortunæ, lætatur ſibi, plaudit amico, amicorum gratulationibus fruitur, nihil medium, nec ſpem, nec curam, ſed immenſa omnia ſibi ſuæque familiæ de amici benignitate pollicetur. Verùm vbi accedere conatur propiùs, animaduertit ſe vel ab ipſo aſpectu noui Principis excludi, quippè qui ſplendore illo fortunæ illuſtrioris hebetatur oculis, & adulatorum crebro ſonitu ſurdaſter effectus, neque preces amici audire, neque miſeriam, & calamitatem eius intueri dignatur. Illuſtre ſuper hac re aulici cuiuſdam Michaelis nomine diſticum celebratur, dum enim Michael cuidam mediocris fortunæ domino ſeuiret à ſacris officijs, ſæpè illum audierat dicentem ſibi, ſi me Deus in aula ad pri-

mariam euexerit dignitatem, ò te Michael beatum, ò te meorum familiarum omnium feliciſſimum, quem ego memor tam diuturni obſequij, atque amicitiæ, mecum magis, ac magis promouebo ſemper. Sed tandem, qualis eſt Curiæ per ſuos gradus conuerſio Perilluſtris ille vir ad Principatum euehitur. Quibus gaudijs exultaret Michael, cogitate, nihil magnum, ac ſublime ſibi non promiſerat, & initio quidem reuerenter expectat, ſi vocetur, ſi mentio de ipſo fiat aliqua apud aliquem, *boni enim amici laus eſt ad felicitatem vocare amicos, ſicuti ad calamitatem etiam non vocati debemus accedere*, vt optimè Democritus aſſerebat. Verum vbi diuturna Michaelis expectatio mera fruſtratio erat, quęrit Michael communem adytum ad Principem, enimuerò impeditum iter, & occluſam ianuam reperit, it rurſus, itque, reditque viam toties, & conatu irrito ſemper. Quid ergo faceret tandem? duos verſus notis grandioribus deſcriptos pro foribus quas ingreſſurus erat ſupremus ille dominus effigit: erant autem hæc carmina.

Stat foris ante fores Michael dicens, quod bonores
Immutant mores, rarò tamen in meliores.

Quid concluſerit his verſiculis Capellanus antiquus, & Poeta ſubitarius mihi non conſtat, illud tamen omnibus magis manifeſtum facit quod Petronius in fragmentis aſſeruit *amicos, vt plurimum cum fortuna mutari*, ſicut igitur commutata in deterius fortuna effugiunt amici, iuxta illud

Cum fortuna manet vultum ſeruatis amici,
Cum cecidit turpi vertitis ora fuga.

Deficiunt enim, vt ait Horatius, *cadis cum fæce*
Siccatis amici, propterea

Donec eris felix multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila ſolus eris.
Horrea formicæ nunquam ad inania tendunt,
Nullus ad amiſſas ibit amicus opes.

Ita profectò permutata ſorte in optimum ſtatum intumeſcunt amici potentioris oculi, vt vulgari prouerbio fertur: homines enim vt egregiè pronuntiauit Seneca lib. 3. de Prouid. *Cum ſe permiſere fortunæ etiam naturam dediſcunt*; propterea rectè dixit, Iſidorus lib. 3. de Summo bono. *Sæpe propter honorem mutantur mores, & quos ante charitate, conglutinatos habuerunt, poſtquam ad culmen honoris veniunt, amicos habere deſpiciunt*. Quod etiam cõfirmauit Caſſiadorus in epiſt. quadam his verbis: *Nouæ dignitates veteres ſolent amicitias immutare, creat enim cor nouum, et nouos*

affectus, noua dignitatis conſcientia. Diuites facti paupertatis amicos cum paupertate faſtidiunt, ne quid penès eos de veteri videatur inopia reſediſſe: ſemper enim apud indignos mores creſcit cum poteſtate ſupercilium: ſicut enim à fortuna potiſſimum in ſublime ducuntur, ita fortuna naturam, & mores imitantur, vt nimirum Principum *voluntas varia, & inconſtans, ac ſemper incerta ſit:* merito quippè dixit Aeneas Syluius qui poſtea Pius II. in epiſtola 166. *Vt oculus parua feſtuca turbatur, ſic Principum gratia mutatur vel minima quaque offentiuncula.* Sed quoniam non omnes ita mutantur in deterius, vt nullum nobis cum ijs ad dignitatem euectis reſtet veſtigium amicitiæ, & nulla communicatio bonorum, tamen hæc ipſa ſocietas cum potentiori noxia plerumque eſt, & plus habens fellis, quàm mellis.

Dulcis inexpertis, canebat Horat. 1. epiſtol. ad Lollium,
Cultura potentis amici
Expertus metuit: tu dum tua nauis in alto eſt
Hoc age: ne mutata retrorſum te ferat aura:

Idem cantat Ouid. lib. 1. de Triſtib. eleg. 4.

Vſibus edocto ſi quicquam credis amico
Viue tibi, & longè nomina magna fuge.

Nota ſiquidem eſt Æſopi fabula de Leone, Vulpe, & Iumento, cum enim hæ tres belluæ ſocietatem inter ſe iniuiſſent ea conuentione, ac pacto, vt quicquid venatu cæpiſſent in commune partirentur: iam optima, & plurima quæque Leonis, & voracioris, & fortioris vnguibus carpebantur, vt famelico interitu imbecilla animalia deperirent. Hinc apud Iureconſultos famoſa, & adagialis iam eſt leonina ſocietas, vt habet Vlpianus l. ſi non fuerit §. Ariſto. ff. pro ſoc. cum videlicet omne commodum ad vnum redit reliquis ex maxima parte fraudatis, qualis fermè ſolet eſſe ſocietas cum præpotentibus, vt enim aiebat Ennius poeta. *Nec ſocietas, nec fides tuta conſueuit eſſe cum regnantibus, immo neque cum diuitibus*, aſſerente Plauto, *Non eſt firma, nec tuta pauperi cum opulentis amicitia*, & Diogenes ſane rogatus quomodo ſuis amicis vteretur Dionyſius Rex reſpondit. *Vt vaſculis, dum plena ſunt, euacuat, vbi vacua fuerint, abÿcit.* Poſſem hic referre infeliciſſimos exitus eorum, qui cum Regibus familiaritatem contraxerunt. Vnum afferam inſtar omnium. Philippus Rex Macedonum Arato amiciſſimo, qui ingenuè dare conſilia Regi conſueuerat, venenum dandum curauit, quod non repentè occideret, ſed lenta tabe

ta tabe conſumeret. Id vbi ſenſit Aratus, nec afferre poſſet remedium, diſsimulauit, & ingreſſus cubiculum ſumpto poculo, vni ex familiaribus in aurem dixit, *hac ſunt præmia Regiæ amicitiæ, non ſemper tutum dare regibus optima conſilia*. Cum Ouidio igitur 3. de Triſtib. concinamus.

Viue ſine inuidia, molleſque inglorius annos
Exige amicitias, & tibi iunge pares.

Etenim vt abſoluamus tandem hanc partem, ſiue naturam amicitiæ ſpectes, cui repugnat alterius fortuna ſuperbiens, ſiue propietates amicorum, quibus valdè toties incommoda, & noxia eſt ſocietas cum potentioribus ſe, concludendum profectò hic eſſet, nec poſſe nos, nec debere amicis noſtris optare ſupremarum culmina dignitatum. Sed quoniam non auditis vtriſque partibus nefas eſt proferre ſententiam. Quid ex aduerſo afferri poſsit, ac ſoleat, quam breuiſſimè videamus.

Ex iiſdem ſiquidem fontibus deducunt aliqui argumenta pro ſententia plane oppoſita, quod nimirum & natura amicicitiæ, & proprietates amicorum, quæ ſunt vtilitates, & commoda poſtulant, vt amicis noſtris optimam quamque fortunam, Principatum etiam, ac Regnum optemus, immo verò & cum licuerit procuremus. Natura etenim amicitię, vt aiebat Pytagoras, cui & vulgares homines, & viri docti ſubſcribunt, perfectiſsima æqualitas eſt, quæ duorum amicorum vnum, & eundem animum facit, iuxta illud Zenonis receptiſsimum dictum apud Laertium lib. 7. cap. 1. *Amicus alter ego*, vt meritò Cato dixerit ex Platone *Amici animum in alieno corpore habitare*. Quod in ſe ipſo expertus, & exprimens Alexander Magnus, cum captiua Darij mater Ephæſtionem intimum amicum Alexandri loco Regis per ignorantiam adoraſſet, ac poſtea erratum agnoſcens pudibunda veniam deprecaretur, Alexander vultu ad hilaritatem compoſito, *Non erraſti*, inquit, *mater, nam & hic Alexander eſt*. Et iure vbi enim vna eſt volendi, ac nolendi ratio, ibi & vna mens, & vnum cor cenſeri ſolet, quod ſi amicos duos eſſe quo ad entitatem more Phyſicorum dicas, adhuc propter connexionem operandi eodem ferri vtriuſque voluntatem affirmabis cum S. Cypriano, qui libro de ſingularitate Clericorum. *Sicut*, inquit, *oculus vnus verti non poteſt quò & alius non vertatur, ita & quicquid vnus amicus voluerit, eò & alterius amici voluntas vertitur. Idem enim velle atque idem nolle ea demum firma amicitia eſt* concluſit Hiſtoriæ

Romanę

Romanæ princeps Saluſtius. Si ergo tunc verè amicitiam colimus, cum amicum vt quid à nobis minimè diſtinctum, ſiuè ſicut nos ipſos amamus, iam nobis ipſis optare optima, & ſuprema quæcunque bona non ſolùm phyſicè, ſed moraliter, atque interdum licitè poſſumus. Quamuis enim Chriſtiana perfectio proponat nobis fugam ab omnibus terrenis bonis, præſertim maioribus, & ſenſum maximè mouentibus, vt præmia æternæ vitæ longè vberiora, neglectis fluxis commodis, capiamus, quod conſilium capiunt ij, qui mortalibus rebus abiectis religioſæ vitæ inſtitutis omne tempus ætatis addicunt; crimini tamen non tribuitur, ſi rationabili quadam mediocritate affectuum bona humana etiam magna, ac ſuprema tractemus. Siquidem ad virtutem moralem magnanimitatis attinet nonniſi magna cogitare, æſtimare, affectare, moliri in omni opere reliquarum virtutum, vt cum Ariſtotele 4. Eth. cap. 3. docet Magiſter Theolog. 2.2. quæſt.129. *Sed peculiari modo, & maximè*, inquit Ariſtoteles, *in honoribus verſatur vir magnanimus, in diuitijs quoque & principatu*. Et rurſus ibidem ait, *magnis honoribus, & ijs qui à viris bonis deferuntur tanquam ſibi accomodatis cum mediocritate delectatur magnanimus*. Ex quibus omnibus tale conficies argumentum. Amicitia efficit, vt amicum ſicuti nos ipſos diligamus, ac proinde vt ei quicquid nobis volumus, velle etiam poſſimus, & debeamus. Sed nobis ipſis maximam quamque fortunam pro loco, & tempore optare poſſumus, ſequitur ergo & amicis noſtris poſſe illam cupere, & vbi licuerit procurare. Neque obſtat quod dicebatur, poſita nimirùm notabili inæqualitate fortunæ deſtrui rationem amicitiæ, tum quia vnus amicus in ſublime ductus euocabit alterum amicum ab infimis, & enormem illam inæqualitatem non permittet intercedere: tum quia quamuis amicitia ſecundùm quaſdam conditiones maximè illi accomodatas, non tamen eſſentiales, vt vocant, ſed accidentarias æqualitatem ſtatus in amicis expoſtulet, tamen ſi retineat æqualitatem voluntatum, poterit adhuc conſiſtere cum inæqualitate fortunæ. ipſe enim Ariſtoteles 10. moral. cap. 9. amicitiam etiam inter inæquales admittit, & veram amicitiam inter Deum & hominem intercedere certum eſt ex Philoſophia Chriſtiana, & ſatis probabile in Ariſtotelica diſciplina. Non eſt igitur cur timeamus, ne rationem in nobis amicitiæ deſtruamus, ſi noſtris amicis egregia quæque ſublimioris fortunæ dona cupiamus.

Sed

Sed fortaſſe timendum eſt, ne amici poſtquam diuitias, ac dignitates ſummas fuerint conſecuti, obliti noſtrorum nominum, amorem antiquum imminuant, imò damna potiùs in nos congerentes, quàm commoda, & vtilitates, peſſundent ipſi rationem amicitiæ, quam nos pro noſtra virili parte ſeruamus, nullo nos habentes in pretio & dignitate.

In hac ſanè re negare non poſſumus reperiri interdum aliquos, qui ad dignitates eueƐti hoc inhumanitatis genere laborent, ſed in omni ordine ciuium, ſiue proſpera fortuna efferantur, ſiue deprimantur improſpera, ſiue conſiſtant in tenui, & mediocri aliquos experimur ingratos, aliquando ruſticos, inhumanos. Si ergo huiuſmodi homines in amicitiam noſtram ſelegerimus, vitio noſtræ electionis id tribuendum potiùs erit, quàm naturæ dignitatis, ac Principatus. Sanè exploratum ſatis eſt ab optimo quoque Principe amicos maximo in pretio, & charitate haberi ſemper, ac meritò, vt enim ait Dion. lib. 37. *Cum plurimis amicitijs fortuna Principum indigeat, præcipuum Principis opus eſt amicos parare*. Propterea Mycipſa Rex filios ſuos alloquens, vt eſt apud Saluſt. in Iugurta primo loco ponebat amicos dicens. *Præſidia regni ſunt, amici, arma, leges*; Silla vero ad Regem Boccum, *ſeruorum*, inquit, *abunde eſt, amicorum numquam ſatis*; & manifeſtius Cyrus apud Xenophontem lib. 8. *Non eſt aureum hoc ſceptrum dicebat, quod Regna ſeruat, ſceptrum maximè ſecurum Regibus ſunt amici*. Propterea non ſolùm ſpecioſa hæc vocabula protulerunt, ſed factis etiam ſummæ benignitatis amicos ſuos proſequuntur ij, qui in magnam potentiam, ac diuitias deueniunt. *Quis enim eſſet fructus in rebus proſperis ſublata benignitate, quæ in amicos extat maximè*, vt verbis ipſis vtar Ariſtotelis lib. 8. eth. cap. primo? Quibus addi poteſt ſententia Iſidori 3. lib. de Summo bono, *Amicitia proſperas res dulciores facit*. Si quidem eiuſdem Ariſtotelis teſtimonio lib. 2. Moral. cap. 5. *Gratificari, & opitulari amicis iucundiſsimum eſt*. Quod oſtendit Arceſilaus, qui in Regni adminiſtrationem vocatus, ita non eſt oblitus Apellis Chij veteris amici, vt eum ægrotantem vltrò inuiſeret, & cum hominis pauperiem deprehendiſſet, erecto puluino multas auri dragmas furtim abſcondit, cumque receſſiſſet, aurique ſummam ancilla inſternens lectum reperiſſet, dixit Apelles. *Fructus parit nouos vetus notitia Arceſilai*. Sed longè altius in gratificandis amicis occaſione ſuſceptæ dignita-

tis pro-

tis prouectus eſt Lucius Reginus. Hic enim plebis Tribunatum virtutum ſuarum ſuffragio conſequutus, cum Cæpionem antiquo ſibi federe amicitiæ coniunctum carcere detentum videret, quod haberetur cauſa cladis quàm Romanus exercitus acceperat à Cimbris, ac Teutonicis, non ſolùm à vinculis exemit amicum, ſed ipſemet exilio patriam commutans, idem fatum cum amico exul ſortiri maluit, quàm Tribunus amico in vinculis conſtituto regnare. Poſſem hic exempla quamplurima gratiſsimorum amicorum proferre, niſi hæc vna Roma Theatrum ampliſsimum, & clariſſimum eſſet veritatis huius; quicumque enim aut diuitias, aut dignitates, & potentiam in conuerſione fortunæ conſequuntur ex eo ferè ſemper conſequuntur, quod veteri, vel amicitia, vel notitia, vel officiorum comunicatione, & conſuetudine vitæ, aut ſimilitudine ſtudiorum coniuncti erant cum iis, qui ad ſupremum orbis terrarum Principatum euehuntur. Vt potiùs conqueri poſſint viri Principes, quod non amentur ipſi, quàm quod ipſi non redament, & remunerentur veros amicos. Quotuſquiſque enim accedit ad Curiam ſincero beneuolentiæ erga Principem affectu, & non pecuniæ, aut potentiæ adipiſcendæ gratia?

At vetus, & communis hominum vulgarium quærela eſt; amicos vbi fortunam mutauerint, mutare mores, mutare amores, & letheo veluti epoto flumine obliuiſci amicorum. Volo vt huic querelæ concedamus aliquid, ſi prius pauca hæc ad normam rectam examinis reuocemus. Primò enim vbi aliquis magnam potentiam, ingenteſque diuitias, vel beneficio fortunæ, vel ope gratiæ, vel meritorum ſuffragio obtinet; Ecce tibi quamplurimi ſeſe tanquam veteres amicos venditant, & oſtentant, cum tamen antea notitiam leuem, affatus raros, communicationem bonorum aut nullam haberent, aut nonniſi futuræ amicorum felicitatis ſpe, ac ſuſpicione permoti, amorem ſuæ vtilitatis externa amicitiæ ſpetie colorantes. Deinde & illud aduertendum eſt, hominum deſideria vaſta, & inſatiabili diuitiarum, & honore fame laborare, exquo fit vt quæ ab amicis accipiunt & pauca, & minima eſſe illis videantur. Immo verò obliti veterum noua ſemper beneficia inexplebili Arpyarum ingluuie expetunt, ac venantur. Denique non deſunt qui feſtinatione præpropera omnia ſibi volunt ſtatim imparciri nulla expectata opportunitate rerum, neque anim aduer-

tunt,

tuus adeſſe etiam alios magis coniunctos quibus cum prouidentiæ prior, ac potior exercenda eſt.

Hæc vbi diligenti animo perpenderitis, ſimul attendentes veros amicos nonniſi rariſſimos reperiri, tum de hac quæſtione quid teuendum ſit, optare ne liceat, vt amici noſtri ſummas opes, acpotentiam conſequantur necne, pro veſtra ſapientia iudicate.

Dixi.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſt.

A. Epiſc. Bellicaſtren. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Lupus Magiſter, & Socius Reuerendiſsimi P. Fr. Nicolai Riccardi Sacri Palatij Apoſt. Magiſtri, Ord. Prædicatorum.